

DISPUTATIOLOGICA  
De  
PROPOSITIO-  
NIBUS;

Quam

Deo auxiliante

S U B T RÆSIDIO

CLARISSIMI AC EXCELLENTISSIMI  
VIRI, D. M. HENRICI GUTBERLETHI IN  
illustri illustrum Nassoviorum Schola Herbornensi Profes-  
soris ordinatii, Præceptoris sui debitâ obser-  
vantia colendi, publico exar-  
mini subjicit

JOHANNES BADIUS  
Coloniensis.

•S)(S•



HERBORNE NASSOVIORVM  
Ex officina typographica Christophori Corvini.

.c. 15 C XI.

AMPLISSIMO, CLARIS-  
SIMO ET CONSULTISSIMO VI-  
RO, Dn. CAROLO BORDELIO, U.J.D. &  
Illustriss. Electori Brandenburgico à consi-  
liis &c. domino & agnato suo plurimum  
observando:

RECOGN  
INTEGERRIMIS ET HONE-  
STISSIMIS VIRIS,

- Dn. LEONHARDO DORPMAN, mercatori  
& civi Wassenburgensi &c. avo suo mater-  
no omni obedientia colendo:  
Dn. HENRICO DORPMAN, avunculo suo  
charissimo:  
Dn. CARSILIO BORDELIO, agnato suo  
honorando:

*Has studiorum suorum primitias vere-  
cundè & officiosè dedicat & offert*

Johannes Badius Resp.

THE S I.

**N**gēnia illa laudantur, quæ nec inutilia, nec à captu hominis nimis remota & abstrusa proponunt, eaq; perspicuè absq; pomposo verborum lenocinio & anfractu disserunt: Contrà certè vituperationem merentur maximam, qui inutilia inutiliter tractant, obscura obscuritate involvunt, abstrusa ignotiora reddunt, inane argutias & ottolas nugas argutè satis sed nugaciter proponunt.

**H**oc nos perspicientes, constituimus de propositionibus utiliter, Logicè & satis luculenter, ut speramus, in præsentiarum disserere, maximè autem & in primis de propositionibus necessariis.

**C**ùm autem, teste Tullio oratorum principe, omnis, quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio, debeat à definitione proficiisci, ut intelligatur, quid sit id de quo disputatur: placet, priusquam in arenam descendamus, definitione inquirere, quid sit propositio; & distributione perscrutari, quotuplex ea sit.

**P**ropositio est perfecta sententia, in qua aliquid asserimus, id est, vel verum vel falsum significamus. ή πό αληδες ή τό λέοντος, inquit Aristoteles. Quum perfectam sententiam dicimus, excludimus locutiones imperativas, optativas, & infinitivas, quæ perfectam sententiā non nisi per ἀναγνώσκων faciunt. Verbi gratiā: Time Deum, non est perfecta sententia, quia nihil asseritur, scilicet si ad Logicam amissim examines, sed ἀναγνώσκων fit enunciatio hoc modo: Debes Deum timere, vel

Deus est timendus. Et hæc est causa quod Philipp. Melanch. lib. 2. Dialecticæ in principio propositionem definit orationem indicativam, unicam & integrum, verum aut falsum sine ambiguitate significantem.

5 Propositionis affectiones sunt quatuor; prima secundum Aristot. in lib. ~~dei ipsius eius~~, est unitas & multitudo; secunda, affirmatio & negatio; tertia, veritas & falsitas; quarta, contingentia & necessitas.

6 Propositione una est vel simpliciter una, vel per copulam. Simpliciter una; ut, Deus est; per copulam una; ut, Deus est justus. Illa dicitur enunciatio secundi adjacentis; hæc tertii, unde est distinctio inter Est secundi adjecti, quod notat ~~ūταξίν~~, & Est tertii adjecti, quod vocant ~~αρχικήν τοπεῖ μένον~~. Unde canon: Ab Est tertii adjecti ad Est secundi adjecti vales consequentia; ut, Aqua est calida, Ergo aqua est. Enunciatio multa dicitur tribus modis: 1. quum est ~~αὐτωδέλθε~~, ut excessit, evasit, erupit. 2. Quum est ambigua; ut, Exiguum vidi leporem jugulare molossum. 3. Quum alterum alteri inest, sed per aliud: ut, Ille est bonus Musicus. Hanc divisionem propositionis in unam & multam P. Ramus neglexit, idq; rectè, ut in disputationis cursu indicari potest.

7 Affirmatio definitore Aristot. cap. 6. de interpr. ~~στοιχείων πρότυπον~~, id est, est enunciatio alicujus de aliquo; ut, Sol movetur, fides sola justificat. Vel ut Melanch. vult. Affirmatio est quæ asseverat aliquid adesse, seu inesse subjecto; ut, paries est albus. Canones hujus sunt:

1. Affirmatio prior est negatione, quia affirmatio est in star habitus, negatio in star privationis. 2. Veritas axiomatis negatio concludi non potest, nisi ex veritate alicujus affirmati. Itaq; veritas affirmati est fundamentum veritatis negati.

8 Negatio est ~~στοιχείων πρότυπον~~, id est, enunciatio alicujus ab aliquo; ut, terra non movetur. Bonâ opera non justificant.

stificant. Differentia igitur sita est in præ positionibus <sup>x<sup>7</sup></sup> & <sup>8<sup>9</sup></sup>.

Hujus canon est,

Oportet particulam negantem addi copulae, alioqui nulla erit in dispositione aut complexu disjunctio, si partibus tanquam seu membris negatio sit addita: ut, *¶* neas potuit non vincere Turnum.

Tales propositiones Aristoteles vocat *ae<sup>o</sup>res*, infinitas, quia terminus ille, cui negatio ejusmodi est addita, est negativus. Omnis autem negatio simpliciter sic dicta nihil determinat. Sic hæc propositio Christi: *Omnis plantatio quam non plantavit pater meus cœlestis, eradicabitur: non est negans, quia negatio non est posita justo loco, sed est inserta descriptioni subjecti.* Porro quando una eademqp propositio simul affirmatur & negatur, oritur hinc *avñ<sup>o</sup>caris*, contradic<sup>tio</sup>.

Affirmationem & negationem proximè sequitur veritas & falsitas. Veritas Metaphysicè definitur conformitas entis cum suo archetypo.

Estqp duplex, incomplexa & complexa.

Incomplexa est in simplicibus rebus; ut enim unum quodqp ens est, ita verum est; sed hanc veritatem tanquam ab hoc loco alienam omittimus.

Complexa est in rebus conjunctis, ideoqp est affectio dispositionis axiomaticæ. Vera oratio minimè est causa cur res sit, sed res potius causâ est, cur sit vera oratio. Gradatio hæc est: Veritas in verbis pendet à veritate in rebus; Veritas in rebus pendet à dispositione illâ, quæ ab æterno fuit in mente Dei. Quicquid igitur verum est, ideo verum est, quia Deus sic ordinavit.

Sic contrà judicatur falsum, quando affirmativè vel negativè disponuntur, quæ secus disponenda sunt, id quod etiam ex rebus ipsis & earum scientiis cognoscitur. Exempli gratiâ: Lex nos justificat coram Deo. Falsa est affirmatio, quia rem non ita sese habent sacræ literæ, & clamat ipsa ho-

minis corrupta natura. Summa hæc est: Quando cunctæ consentanea affirmando, & dissentanea negando disponuntur, est propositio vera: quando contra, consentanea videlicet negando, dissentanea affirmando conjunguntur, efficitur propositio falsa.

11 Hæc de veritate & falsitate; jam de ejus gradibus, vide-licet contingentia & necessitate.

12 Contingentia est affectio propositionis, quando vide-licet prædicatum & subjectum contingenter cohærent. Est igitur propositio contingens, quæ sic vera est, ut aliquando falsa esse possit. Quales propositiones dici solent probabiles, ut, Audentes fortuna juvat. Matres ardentiū amant liberos, quam patres. Melanchthon dicit, contingentem propositionem esse, in qua accidens commune de subjecto dicitur: ut, homo est albus: aqua est calida. Omne contingens pendet à contingentie terminorum vel consensione vel dissensione.

13 Sunt autem certi gradus ac species contingentiarum, quos Aristot.lib.de interpr. c 10. pertractat. Contingentia enim, alia sunt æqualiter contingentia, quæ fieri tam possunt, quam non possunt: ut ludentem aleā vincere: Aristoteles vocat ἀπότελεσμα την χρήσην, quorum non magis affirmatio, quam negatio ve-ra est: alia sunt ὡς τὸ πολὺ, quæ sèpius seu plerumque ita acci-dunt, ut matrem amare suam prolem; alia denique quæ raro eveniunt, & vocantur raro contingentia, seu τὸ ἐλάχιστον: ut, corvum esse album, hominem nasci sex digitis in una manu,

14 Porro de contingentibus enunciationibus hi sunt ca-nones: 1. Prædicatio contingens habet tale prædicatum, quod sine contradictione potest à subjecto separari, cum est affirmativum; vel eidem tribut, cum est negativum. 2. Contingentes propositiones pre-cipiunt constant accidentibus communibus, & partibus integralibus, minus principalibus, & ex adhærentibus: ut, homo est albus, ho-mo est barbatus, pileatus, ocreatus. 3. Propositiones contingen-tes

tes dicuntur probabiles, cum nec sensu, nec aliâ ratione veritas earum  
est nobis satis liquide perspecta: Probabile enim est, quod cum nec cer-  
to affirmari, nec certò negari possit, tamen in alterutram partem af-  
fensus magis inclinat: Ut reges minus sunt longævi plebeis; im-  
perium iisdem artibus retinetur, quibus acquiritur: Nemo  
est æquus dominus, nisi qui fuerit servus; tales propositiones  
à nonnullis *εἰνότα* vocantur; Aristoteli dicitur *ἐνδοξός*, idq; dicit  
esse, quod videtur omnibus, aut plerisq; aut sapientibus tan-  
tum, iisq; etiam vel omnibus, vel plerisq; vel maximè claris.

15 Necessitas est affectio propositionis, quando subje-  
ctum & prædicatum necessariò conjunguntur.

Necessitas est duplex: incomplexa, & complexa.

Incomplexa est generale attributum entis, quâ ens est.

Complexa est affectio propositionis, in quâ subjecti &  
prædicati est necessarius nexus: Illam ad Metaphysicam ab-  
legamus, hanc hoc loco fusiùs persequemur. Est itaq; propo-  
sitione necessaria, in quâ prædicatum cum subjecto necessariò  
disponitur. Ramus dicit lib. 2. Dial. c. 3. *Axioma necessarium est,*  
*quando semper verum est, nec falsum potest esse.* Seu, necessaria  
propositio, est quando perpetua & necessaria consequentis &  
antecedentis est dispositio. Ideoq; omne necessarium pen-  
det vel à consensione argumentorum, vel à disensione co-  
rum perpetuâ.

16 Perpatetici Logici de propositione necessaria demum  
tractant in doctrina demonstrationis, sed malè & *ἀμεσίδως*.  
Distingui enim debet propositionis & syllogismi doctrina, &  
oportet tractationem propositionis materialis esse plenam,  
non semiplenam & mutilam: at quis ignorat ad propositionis  
materiali pertinere conditionem necessitatis?

17 Necessitatis affirmatæ gradus tres sunt; *τριτη, τεθ' αυτη*  
& *καθόλης αρώτην*. Vocantur alias leges præceptorum artis pro-  
riorum; prima, lex veritatis; secunda, justitiæ; tertia, sapien-

tiæ dicitur. Omne enim artis præceptum ita comparatum esse debet: ut, 1. sit affirmatum & necessariò verum. 2. Partes habeat essentialiter cohærentes. 3. Præter essentialēm nēxum sit æqualitas, unde est reciprocatio. Tale præceptum verè est scientificum.

18 *Katù παντος* est, cùm prædicatum inest subjecto universè. Requisita ejus hæc sunt: primum, ut propositio sit affirmata. In arte omne theorema docendi gratiā instituitur. At plūs docet affirmatio quām negatio. Et affirmatio negatione multis partibus præstantior est. Adde, quod omnis negativæ propositionis veritas consistit in veritate alicujus propositionis affirmatæ. Alterum requisitum est, ut propositio sit perpetuò & necessariò vera. Itaq; Zabarella, in disciplinis, inquit, præcepta tradenda sunt, quæ perpetuam habent veritatem. Piccolomineus, definitiones, inquit, non sunt contingentes, sed per se & necessariò vera. Res enim definiendæ ejusmodi postulant attributa, quæ ab iis in æternum separari nequeunt. Iccirco in ipsis signa universalia, tum numerorum, tum temporum, necessariò & semper intelliguntur, licet non exprimantur. Per quæ enim cujusque rei essentia in natura constat, per eadem definienda & explicanda est in arte. Quare quum dico *κατὰ παντος*, est *κατὰ τούς*, scil. τοὺς τοποκομίους, ἢ τούς. Hæc tamen duo posteriora in primis attenduntur, siquidem etiam singularis propositio *κατὰ παντος* esse potest: ut, Sole est planeta.

19 *Katù παντος* est vel subjecti, vel adjacentis.

20 *Katù παντος* subjecti est, cùm prædicatum convenit omnibus sub subjecto contentis, videlicet speciebus & individuis: ut, animal sentit, hoc dicitur de homine & bruto, itemq; omnibus individuis hominum & brutorum, ideo est prædictio *κατὰ παντος*, ratione subjecti. Sed ut dictum est, in hoc sensu hoc in loco non consideratur præcipue.

21 *Katù*

21 *Kατὰ παντὸς* adjacentis est, cùm prædicatum subjecto attribuitur sine ullâ exceptione temporis aut loci. Quod Scholastici dicunt absolvit ab omni nunc & tunc; ut, homo est risibilis: hoc est verum omnibus annis, mensibus, & diebus, & in omnibus mundi partibus & locis. Atq; hoc est quod Aristoteles. Post. 4. ubi ex professo de his necessariarum propositionum gradibus tractat, dicit: *κατὰ παντὸς* appello, non quod in aliquo est, & in aliquo non est, & interdum est, interdum non est; ubi dum tempus nominat, etiam intelligit circumstantiam loci: & Zabarella ad contex. lib. 1. Post. c. 2. de hoc gradu tractans, distinguit inter *κατὰ παντὸς* duplex, prioristicum & posterioristicum, quorum illud dicitur, cùm quicquid de subjecto alicujus propositionis dicitur, potest etiam affirmari de omnibus sub subjecto contentis. Nam Aristoteles in prioribus analyt. ubi de syllogismi formâ agit, præcipit universalitatem propositionis, quæ subjectum maximè respicit. Posterioristicum verò est, quod subjecto addit universalitatem temporis & loci. Nam in posterioribus analyt. ubi Arist. agit de syllogismi materiâ eāq; necessariâ, talis universalitas præcipitur.

22 *Καθ' αὐτὸν* est, cùm prædicatum subjecto inest essentialiter. Ergo in hac propositione axiomatis partes inter se continentur nexus essentiali. Iccirco in definitionibus nihil accidentale toleratur. Essentialis autem nexus est, vel quando alterum est de essentia alterius, vel quando alterum ab alterius essentia perenniter quasi fluit & dimanat.

23 Cæterum *τὸ καθ' αὐτὸν* variè usurpatur in Philosophia Aristotelica. Nam primò in terminis simplicibus significat id quod est per se, & quod suâ naturâ ad aliquid est ordinatum: in terminis vero complexis, seu integris propositionibus, interdum latissimè accipitur pro eo quod vere inest, atq; ita opponitur *τῷ φαιρομένῳ*, seu apparenti: ut, cœlum est cœruleum

non καθ' αὐτὸν, sed οὐκομένως. Interdum verò strictius significat, prædicatum inesse subjecto non per accidens, sed essentialiter: ut, homo habet facultatem sentiendi. Interdum etiam strictissime, videlicet prædicatum inesse subjecto immediate: ut, Homo est rationalis. Aristoteles capite 4. libro 1. Posteriorum ait idem esse, καθ' αὐτὸν & καθόλε πρῶτον, id ut intelligatur, sciendum est, per se, καθ' αὐτὸν etiam strictius sumtum duobus modis accipi: vel enim opponitur τῷ per accidens, & sic latius patet quam τῷ καθόλε πρῶτον, ut cùm dico, homo per se sentit, id est, pertinet ad naturam hominis sentire, licet non quā homo, sed quā animal; cùm verò per se distinguitur ab eo, quod est καθ' ἄλλο, vel δι' ἄλλο, tunc idem est quod καθόλε πρῶτον, & sic homo dicitur per se risibilis, id est, immediate, per nullum aliud subjectum interveniens. Equi-pollent autem Aristoteli καθ' αὐτὸν, πρώτως, & ἀμέρτως, ut appareat, c. 2. lib. 1. Post. sed notandum est, ἀμεσότητα seu immediatetatem, & ut ita loquar, primitatem, esse duplēm; unam videlicet causæ, alteram subjecti: Primitas causæ est, quando prædicatum subjecto ita inest, ut nullam habeat causam efficientem, per quam ei insit, aut de eo demonstrari possit: Quomodo genus & differentia insunt speciei: Primitas subjecti est, quando accidens inest sibi subjecto adæquate & reciprocè, et si habeat causam efficientem, qua mediante possit de eo demonstrari. Sic risibilitas inest immediate homini, immediate inquam ratione subjecti, quamvis non insit immediate, ratione causæ. Prior ergo primitatis modus ad primum modum καθ' αὐτὸν pertinet, posterior ad secundum. τῷ καθ' αὐτὸν opponitur τῷ συμβέβηκός, ut docet Aristoteles citato capite: sed τῷ συμβέβηκός tripliciter sumitur; primò pro propositione omni, quæ non est necessaria, sed contingens, ita homo per accidens est albus, quia hoc non penderet ab ejus essentiâ. Secundò sumitur pro eo, quod est præter intentionem aut naturæ rei, aut liberæ

beræ voluntatis in agente. Deniq; sumitur pro eo quod tan-  
tum apparenter verum est, & significat idem quod φανόμενον,  
atq; ita opponitur τῷ αληθεῖ.

24 Καθ' ἀντὸν est vel primi, vel secundi modi.

25 Καθ' ἀντὸν primi modi est, cùm prædicatum est de essen-  
tia seu definitione subjecti. Hujusmodi sunt prædicationes  
generis de specie, item differentiæ de specie, item speciei de  
individuo.

26 Secundi modi καθ' ἀντὸν est, cùm subjectum est de essen-  
tia vel definitione prædicati. Continet ergo prædicationes  
accidentium propriorum essentialium de suis subjectis.

27 Hic est principalis, vel minus principalis.

28 Principalis est, cùm accidens perfectè proprium subje-  
cto tribuitur: ut, homo est risibilis, est disciplinæ capax, ani-  
mal est θεωρήσις.

29 Minus principalis est, cùm accidens imperfectè pro-  
prium (quod vocant tertii modi) tribuitur subjecto: ut, homo  
ridet, homo flet, discit &c. qui tamen modus non est purè ne-  
cessarius, sed admixtam habet contingentiam. Non enim  
prædicatum καθ' παντὸς est, cùm non semper, neque ubiq; insit  
subjecto. Arist. I. Post. 6. & imprimis cap. 19. disertissimis ver-  
bis affirmat, tantum esse modos καθ' ἀντὸν, cùm videlicet præ-  
dicatum est de definitione subjecti: & in quo subjectum est  
de definitione prædicati. Videatur clarissimus Julius Pacius  
in notis marginalibus ad c. 19. ut & Institut. Logicis: Zabarella  
idem agnovit, cùm 2. de propositionibus necessariis, cap. 14.  
dicit, tantum duos esse modos καθ' ἀντὸν utiles, primum & se-  
cundum: Locus c. 4. I. Post. qui errori de reliquis duobus mo-  
dis ansam dedit, nihil eidem favet, si ejus intentio & scopus  
rectè perspiciat. Aristoteles enim ibi tractans de proposi-  
tionum necessiarum gradibus, τῷ καθ' παντὸς citò dimittit, tan-  
quam minus ambiguum, sed quia multum erat positum in se-

cundo gradu καθ' αὐτὸν, ut pote ob variam in Philosophiā acceptiōnem difficiili, ideò ibi intendit ubi rius declarare, docetq; τὸ καθ' αὐτὸν interdum pertinere ad terminos complexos, seu propositiones, & ita ejus esse duos modos quos recensuimus, interdum verò pertinere ad terminum simplicem, eumq; iterum vel quā ens est, & sic substantiam esse per se, accidens ve- rò non esse, vel quā causa est, & sic causam per se dici, quia suā naturā ordinata est ad effectum.

30 Universaliter primum, καθόλεις ἀριθμοῦ, est, cùm prædicatiōnē de subjecto reciprocē dicitur: ut, homo est risibilis, & omne risibile est homo. Hujus requisitū est, ut consequens cum antecedente reciprocetur. Atque hoc est, quod & Logici volunt: Definitionem bonam cum definito, ut & distributionem cum distributo, vicissim retrò commeare debere. Reciprocum autem est axiomā, quando antecedens in locum consequentis, & vicissim consequens in locum antecedentis transit, eādem axiomatis quantitate & qualitate re-tentis.

31 Pertinet ergo huc primus modus καθ' αὐτὸν, sed tantūm secundūm quid, videlicet, quatenus continet prædicationem differentiæ reciproca de sua specie, non autem quatenus etiam complectitur prædicationem generis, quae nunquam potest esse reciproca. Secundus autem modus, tam principalis, quām minus principalis, huc pertinet, quia omne proprium essentiale est reciprocum. Summus ergo hic est necessitatis gradus, quem idcirco Aristoteles duobus titulis insignivit; quorum prior est καθόλεις, alter est ἀριθμοῦ: καθόλεις prædicatum respicit, & significat, illud à subjecto totum & universum ex-hauriri, ita ut eo nec sit latius, nec angustius, unde quod c. 4. καθόλεις dixit, c. 6. voce simplici dixit ὁλοῦ, ut intelligatur ei opponi πόχῳ μέρος, & cap. 5. dicit, ei duo opponi, latius & angustius; non est enim καθόλεις, cùm dico homo sentit, quia sensus patet

patet extra hominem, neq; ab eo universus continetur, nec  
est καθόλου, cùm dico, homo est doctus, quia prædicatum hoc  
homine est angustius, nec tam latè se extendit: ut, ipse homo,  
cùm multi sint homines, qui docti non sunt. Alter verò ter-  
minus ἀφῶν, subjectum respicit, dicitq; illud esse solum & u-  
nicum, de quo prædicatum arctè dicatur, ita ut nullum aliud  
interveniat medium subjectum, cui prius debeat tribui quàm  
huic; ita nullum subjectum est, cui risus prius & proprius insit,  
quàm homo, utpote extra quem non patet.

32 Gradus propositionum necessariarū posterior, semper  
est perfectior priori, quem includit. Sicut καθ' αὐτὸν perfectum in-  
cludit καὶ πάντας, & καθόλου ἀφῶν includit καὶ πάντας & καθ' αὐτὸν.

32 De propositionibus necessariis hæ sunt regulæ: 1. *Neces-  
saria propositio non tantum est affirmans, sed etiam negans.* Quā-  
do enim prædicatum irreconciliabiliter pugnat cum subje-  
cto, ita ut ei respectu nullius partis, nullius temporis aut loci  
atribui possit, tum dicitur negans necessaria: ut, corpus Christi  
non est ubique; Infideles non edunt corpus Christi; Homo  
non est lapis. Sicut ergo in propositionibus necessariis affir-  
mativis est τὸ καὶ πάντας, ita in negativis est τὸ καὶ μηδέποτε, ut non  
obscure colligitur ex 1. Post. 12. 28.

2. *Necessaria prædicatio alia est pura, alia mixta ex necessitate  
& contingentia.* Sicut exp̄s̄ distinxit Averroës citante Za-  
barellâ ad contex. 41. 1. Post. Et ipse Zabarella cap. 2. lib. 2. de  
propositionibus necessariis habet præclarum locum, in quo  
docet, καθ' αὐτὸν recipere magis & minus, id quod præcipue di-  
citur, propter modum secundum τὴν καθ' αὐτὸν minūs principa-  
lem, in quo proprium imperfectum de subjeōto dicitur, ut  
etiam ante monuimus; mixtæ ergo propositiones sunt, homo  
ridet, animal sentit, & similes.

3. *In purè necessarius verbum est, seu copula, absolvitur ab omni  
temporis, vel loci differentia, & ab omni existentia.* Præclara hæc

est regula Scholasticorum, quam etiam Fonseca citavit & explicuit ad 5. Metaph. c. 6. q. 20. f. 6. Sensus autem est, quod necessariæ prædicationes essentiales non includant existentiam prædicati vel subjecti, atque adeò nec existentiae circumstantias, videlicet locum & tempus; contrà sit in contingentibus & mutabilibus, ubi copula, est, & existentiam præsupponit, & includit circumstantiam certi temporis, præsentis, vel præteriti, vel futuri; cum enim dico, homo sedet, præsuppono, eum alicubi, & aliquando existere, & sic de aliis: unde apparet, quid sentiendum sit de æternis connexionibus, quas Scholastici vocant, & de quibus tam intricatas disputationes habent: etenim universales & necessariæ propositiones nec æternæ sunt, nec temporariae, si æternitatem pro duratione existentia accepias; et si æternæ sint, veritate & repræsentatione.

4. Prædicatum purè necessarium esse essentiale nullo respectu, limitatione, aut distinctione de subjecto negari potest. Ut corpus est quantum, est finitum; idcirco nullo respectu, nulla limitatione potest dici non quantum; quia est prædicatio purè necessaria; necessaria autem prædicatio inseparabilem habet nexū prædicati cum subjecto, unde etiam Aristoteli tales propositiones dicuntur *ÆTERNAE*, non hoc sensu, quo æternitas contradistinguitur tempori, quomodo Deus dicitur æternus, sed æternitas hic ponitur pro inseparabilitate prædicati à subjecto, aut pro immutabili eorum ad se invicem dispositione, ut disserit Aristoteles *ανυπέρασμα άιδιον* vocat 1. Post. c. 7.

34 Necessariæ prædicationes habent vim principiorum. Vox autem *ἀξίη* seu principiū, ab Aristotele & aliis Philosophis diversimodè usurpatum, & sumitur primū in terminis simplicibus pro eo, ex quo aliquid oritur & constituitur, qualia principia vocantur *ΕΣΣΕΝΤΙ*, sic omnes causæ principia effectionum sunt, ut initio quinti Metaphys. docetur: interdum vero principium tribuitur terminis complexis, seu integris

tegris propositionibus, significans propositionem, per quam  
tanquam dignorem & notiorem alia cognoscitur, ut Aristot.  
definit lib. i. Topic. cap. i. dum ait, ea esse prima seu principia,  
quæ non ab aliis, sed à se ipsis fidem habent; quod & docet i.  
Post. c. 2. & 8. Sunt autem hujusmodi principia duplia, φυσι-  
κὰ & δενδικά; φυσικά, seu naturalia sunt, quibus intellectus huma-  
nus nativā proprietate assentitur sine declaratione, de quibus  
tractat Aristoteles sub finem lib. i. Poster. Et talia iterum sunt  
speculativa vel practica. Speculativa sunt, quæ ad contempla-  
tionem immediate pertinent: ut, Impossibile est idem esse &  
non esse; Totum est majus sua parte. Practica sunt quæ perte-  
nent ad vitæ & morum honestatem: Parentes sunt colendi.  
Non est faciendum alteri, quod tibi fieri nō vis: Vim vi repel-  
lere, licet &c. Utraq; Aristoteles vocat δωδέκατος συμφύτος. Da-  
masenus vocat νοητὸς ἐννοιῶν. Vocantur & καταλήψεις φυσικῆ, anti-  
cipations & inclinations naturales. Thetica verò principia  
sunt quæ in disciplinis practicis ponuntur, ad earum conclu-  
siones notificandas & probandas, quæ Arist. i. Post c. 2. dividit  
in hypotheses & definitiones, vocatq; generali nomine the-  
ses; sicut contrà principia φυσικὰ, vocat ἀξιώματα: quamvis hæc  
distinctio raro à Philosophis observetur.

35 Est porrò propositio categorica, vel hypothetica: vel, ut  
Ramus loquitur, simplex vel compōsita.

Propositio categorica est unica, simplex, indicativa ora-  
tio, quæ perspicuā asseveratione unum quiddam affirmat, aut  
negat: ut, sol est major terrâ, luna non est major terrâ.

36 Duæ sunt partes propositionis categoricæ. Subjectum  
& prædicatum, quæ per copulam disponuntur.

Subjectum est, in Grammatica constructione, prior no-  
minativus, de quo aliquid dicitur. Alii vocant Suppositum.

Prædicatum est descriptio sequens copulam, seu est ver-  
bum nomini attributum, quod alii vocant appositorum.

Copula est verbum, quod est nexus seu vinculum, quo prædicatum subiecto alligatur: ut, Deus est justus.

37 Propositio hypothetica est oratio, in qua duæ vel plures categoricæ connectuntur per Grammaticam conjunctionem: ut, si emisti, debes pretium dare; si asinus volat, habet alas. Pluribus de his agere nolumus, quia maximè de propositionibus necessariis hac vice agere constituimus.



### Præses ad Dn. Respondentem.

Dum Logice incumbis, BADI, feliciter urges  
Quæ sunt in studiis jam peragenda tuis.

Omnibus in rebus præbet Dialectica lumen,  
Humanæ mentis dirigit illa viam.

BADIUS alter eris, cuius nomenq; decusq;  
Juliacum novit concelebrare solum.

Tu modò si pergis fixam contingere metam,  
Theologiam Logicæ jungere disce. Vale.

F I N I S.

tegris propositionibus  
tanquam digniorem &  
definit lib. i. Topic. ca  
quæ non ab aliis, sed à  
Post. c. 2. & 8. Sunt aut  
em & sensu; evanescunt, seu n  
nus nativæ proprietate  
tractat Aristoteles sub  
speculativa vel practica  
tionem immediate pen  
non esse; Totum est ma  
nent ad vitæ & morum.  
Non est faciendum alt  
erelicit &c. Utraq; A  
ma scenus vocat novas ex  
cipitationes & inclinatio  
nem quæ in disciplinis  
fiones notificandas & p  
in hypotheses & defini  
ses; sicut contrà principi  
distinctio raro à Philo.

35 Est porrò propos  
Ramus loquitur, simpl

Propositio categori  
tio, quæ perspicuâ affe  
negat: ut, sol est major t

36 Duæ sunt partes  
& prædicatum, quæ per

Subjectum est, in  
minativus, de quo aliqui

Prædicatum est de  
bum nomini attributu

